

S I G I S M U N D U S . A U G U S T U S .

DEI gratia REX Poloniae, Magnus DVX Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae &c. dominus & haeres. Significamus presentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis. Quod cum Badius in Christo pater dominus Nicolaus Wolski Episcopus Vladislaviensis, pro suo in nos & Republicam studio et observantia singulari, dedisset nobis mutuo, ac in thesaurum nostrum in effectu intulisset, octo millia florenorum pecuniae, monetae et numeri Regni nostri, singulum florenum grolis tricenis nostratibus computando, pro usu et necessitate Republicae, & ad exoluenda militibus nostris mercenariis, in Lithuania emerita, & iam pridem petenta stipendia: idque ad rationem Summae quingentorum millium florenorum, quam nobis in proximo praeterito conventu generali Leticoniensi, omnes status Ordines & Regni nostri, unanimi consilio, & assensu, ad eum ipsum quem diximus Republicae usum, super bonis nostris quibuscumque & equalibus, a quibuscumque personis acquirere permiserat. Idcirco nos, gratum habentes hoc illius in nos & Republicam studium: inhaerentesque Constitutioni praedictae Leticoniensi, vigoreque illius: summam praedictam octo millium florenorum pecuniae, eidem Reverendo in Christo patri domino Nicolao Wolski Episcopo Vladislaviensi, eiusque successoribus legitimis, in & super Praefectura nostra Cracoviensi, quam nunc Magnificus Stanislaus Wolski de Podhaiese Castellanus Sandomiriensis, & Curiae nostrae Marshallus, frater ipsius germanus, iure aduitalitio a nobis possidet, assignamus et inscribimus per praesentes literas nostras. Eandemque Praefecturam, cum omnibus & singulis eiusdem attinentis, pertinentis, uillis, praediis, molendinis, ac utilitatibus ac adiacentibus generaliter universis, ad eandem Praefecturam Cracoviensem quouis modo ex antiquo pertinentibus, nullis penitus exceptis, nec pro nobis uel serenissimis successoribus nostris reservatis, ita ut generalitas specialitati, & e contra in nullo deroget, ipsi Bado domino Episcopo Vladislaviensi, eiusque posteris, in summa praefata obligamus & obligamus, ad debitam usque exemptionem, & summae praefatae et uel eius successoribus integram exolutionem. Quod neque praedictus Magnificus Stanislaus Wolski de Podhaiese Castellanus Sandomiriensis, nec illius liberi, alijque eiusdem Reverendi domini Episcopi Vladislaviensis posteris legitimi, possessionem praedictae Praefecturae Cracoviensis, nobis uel successoribus nostris dimittere debeant, ac et eidem Bado domino Episcopo Vladislaviensi, uel post mortem eius, successoribus illius, tota & integra summa praedicta octo millium florenorum pecuniae, per nos uel serenissimos successores nostros, realiter & in effectu persoluta fuerit. Nos uero pollicemur uerbo nostro Regni pro nobis & serenissimis successoribus nostris Regibus Poloniae, praenominatum Badium in Christo patrem dominum Nicolaum Wolski Episcopum Vladislaviensem, eiusque successores, quando & quoties illi uel illis opus fuerit, occasione summae praedictae nobis modo praemisso mutuo, ab omnibus dampnis, impedimentis, ac impetitionibus quarumcumque personarum, tueri, defendere, euincere, ac indemnem & indemnes reddere. In cuius rei fidem, praesentes literas sigillo nro subsignatas manu nostra subscripsimus. Datum Varsoviae die decimanona mensis Junii. Anno Domini. Millesimo quingentesimo Sexagesimo quinto. Regni uero nostri. Trigesimo Sexto.

Sigismundus Augustus
Rex Polonae



8

I G I S M

D V S

1565

1565

S V T S V O

1565

Handwritten text in the center, possibly a signature or address, including the word "Cultra".

